



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Cap. IV. De Obligationibus Parentum & liberorum, & aliorum Superiorum  
ac Inferiorum erga se invicem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

tenetur servare votum, quantum potest. Quod si medium illud, quod ei superest, sit valde arduum, sibi imputet, cum suâ culpâ se conjecerit in necessitatem illud adhibendi ad servandum votum. Sylvius addit quod si talis non sit idoneus ad Religionem, & hæc alia media non profint, non peccabit, nequidem primâ vice, si rogatus consummet, quia ad hoc tunc tenetur.

*Resp. II.* Qui post votum ingrediendi Religionem contraxit, ex communi tenetur ante consummationem ingredi. *Ita omnes.* quia id licet adhuc potest, & ad id se voto adstrinxit. Sed licet consummando graviter peccarit, postea tamen potest debitum non solum reddere, sed etiam petere: quia non vovit castitatem, sed tantum ingressum aut professionem statûs in quo vovenda est, aut saltem non vovit nisi in Religione servandam. At ex communi post mortem vel adulterium conjugis tenetur Religionem ingredi: nam tenetur implere obligationem, quæ tempore Matrimonii fuerat solum suspensa, cum jam impleri possit. Si tamen jam non fuerit aptus, petat commutationem voti.

## CAPUT IV.

*De Obligationibus Parentum & liberorum,  
& aliorum Superiorum ac Inferiorum  
erga se invicem.*

Q. I.

Q. I. **Q**uoniam sunt Obligationes Parentum  
erga Liberos?

Resp. Secundum omnes tenentur 1. Illos alere & convenienter sustentare; hoc est, vitum, vestitum, habitationem, medicamenta prabere, tum ex Jure Canonico, c. *Siquis*. dist. 30. ubi anathematizatur, qui dereliquerit proprios filios, & eos non aluerit: tum ex Jure Civili, Cod. *de alendis liberis* & ff. *de liber. agnoscend.* tum etiam jure naturali, quandiu liberi sibi ipsis res necessarias providere non possunt: nam cum eis per generationem esse dederint, debent quoque illud convenienter conservare, & ad suam perfectionem ac debitum vitae statum perducere: idque ipsa naturae propeusio ordinata satis indicat; suntque parentes administri providentiae divinae erga suos liberos. Unde tenentur etiam curare ut artes statui suo congruentes discant, eisque procurare statum suae conditioni convenientem.

Hinc graviter peccant parentes; si liberos parvulos diligenter non custodiant, & ab iis gravia mala non avertant; si infantes exponant; si rem familiarem non curent, bona dilapident, vel diligentiam saltem mediocrem non adhibeant ad acquirenda & conservanda bona necessaria ad liberos honeste secundum suum statum collocandos, filias dotandas, & iis hereditatem congruam relinquendam: nam debent etiam futuris eorum necessitatibus

bus providere, ex 2. Cor. 12. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

Possunt tamen parentes exhæredare filios ex justa causa in testamento exprimenda, nempe ob gravem culpam & ingratitude in se admissam, vel dilapidationem bonorum familiæ, vel vitam luxuriosam filiæ: nam tunc tali poena digni sunt. Quare in iisdem casibus possunt iis denegare ea, quæ statui suo conveniunt: nunquam tamen res necessarias ad vitam sustentandam, si aliunde non habeant.

*Not.* Mater debet primo triennio liberos alere, & postea Pater, donec ex arte vel officio possint vitam sustentare, ex L. 9. Cod. de Patr. potest. quod si Pater ex inopia nequeat, tenebitur Mater, in defectum Patris & Matris teneantur avi & alii ascendentes, l. 5. ff. de Liber. agnosc.

2. Parentes præter sustentationem congruam debent liberis Christianam Institutionem, ex Ephes. 6. *Educate illos in disciplina & correptione Domini.* Nam finis Matrimonii est generatio proles, à qua Deus piè sanctèque colatur: at institutio Christiana est liberis ad hunc finem necessaria. Hæc in tribus potissimum consistit. 1. Uteos maturè per se vel per alios, doceant necessaria ad salutem, & ad vitam Christianam agendam, *Filii tibi sunt? erudite illos, & curate illos à pueritia illorum.* Eccli. 2. Uteos non solùm verbis, sed etiam exemplo ad peccati fugam, cupiditatum cohibitionem,

& virtutum exercitium adducant, & peccatorum occasiones ab iis avertant; providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Rom. 12. A fortiori coram liberis, quos ex suo munere tenentur efficaciter ad virtutes & timorem ac amorem Dei instituere. Patres discant quomodo etiam commissis sibi exempla bene vivendi exterius præbeant. Scire etenim Prælati debent, quia si per-versa unquam perpetrant; tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est, ut tanto se caucius à culpa custodiant, quanto per prava, quæ faciunt non soli moriuntur, sed aliorum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt. ait S. Gregor. part. 3. Pastor. admonit. 5. 3. Ut delinquentes corrigant objurgando, & cum oportet, moderatè puniendo; juxta illud, Prov. 23. Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis. & c. 13. Qui parcit virgæ, odit filium suum. & Eccli 30. Qui diligit filium suum assiduat illi flagella... Non des illi potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum infans est: ne fortè induret & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. Alioqui parentes sunt participes peccatorum liberorum, ex c. 3. dist. 86. ubi Joan. VIII, ait: facientis culpam procul dubio

bio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est; non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus participes judicantur. & ex S. Gregor. l. 7. Epist. 6. Qui non corrigit resecanda, committit. Quare 1. Regnum, c. 3. Deus ait: suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus. Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eò quod noverrat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.

Porro educationis cura ad Patrem tanquam ad familiæ caput maximè spectat, quamvis etiam Mater ad eam graviter obligetur.

Hinc graviter peccant parentes, si non curent diligenter, ubi liberi fidei rudimenta, & alia ad christianè vivendum necessaria maturè addiscant, pravorum consortium vitent, à vitiiis abstineant, mandata Dei & Ecclesiæ servant; si consilio vel exemplo pravo ad peccatum inducant; si de eorum factis non inquirent, permittantque eos liberius vivere, ludo & delectationibus immodicis assuescere; iisque ad ea pecunias suppeditent; si patiantur eos vitam otiosam agere; si delinquentes non objurgent, puniantque moderatè, &c. ex 1. Tim. 5. Siquis suorum & maxime Domesticorum curam non habet, fidem negavit, (facto scilicet) & est infideli deterior.

3. Tenentur liberis suis electionem status liberam relinquere; peccantque graviter, si eos invito ad Matrimonium vel Religionem

cogant, vel ab iis avertant: nam liberi habent jus sibi statum vitæ liberè eligendi; & eorum salus maximè pendet ab electione statûs, ad quem à Deo destinantur & vocantur. Quare Conc. Trid. sess. 25. c. 18, excommunicat eos, qui foemnam cogunt ad Religionem vel Professionem, aut sine justa causa impediunt ejus ingressum vel Professionem.

Item etiamsi liberi velint Matrimonium inire, non debent parentes eos cogere ad contrahendum cum tali vel tali, si repugnent, c. *de neptis*. 31. q. 2. quia, ut ibi ait Pontifex, quorum unum corpus est, unus debet esse & animus. Alioqui datur occasio dissidiorum, rixarum, adulterii, &c. grave autem peccatum est alios conjicere in periculum graviter peccandi.

*Not.* Ex communi, in defectum Patris & Matris ad prædicta tenentur jure naturali ascendentes ex linea Paterna & Materna.

Item parentes tenentur jure naturali etiam alere & christianè educare liberos illegitimos, qui & quamdiu sibi ipsis de rebus necessariis providere non possunt, cum verè sint eorum parentes, ex c. 5. *de eo qui duxit*, &c.

*Q. 2. Ad quid obligantur liberi erga parentes?*

*Resp.* Secundùm omnes, debent parentibus amorem, reverentiam & obedientiam: nam hæc tria continet & exigit præceptum naturale divinum: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam.*

*tuam.* Deut. 5. & Matth. 19. ut docet Catech. Rom. & omnes Doctores. Idque dicitur re-  
 cta ratio propter triplicem respectum paren-  
 tum ad filios scilicet causæ, præminentia &  
 regiminis. I. Itaque tenentur liberi parentes  
 verè amare, & quidem magis quàm ceteros,  
 cum illis plus debeant, sintque conjunctiores  
 quàm aliis; & hunc amorem significare.  
 Quare tenentur bonum spirituale & tempo-  
 rale iis velle & suppeditare in eorum necessi-  
 tatibus etiam communibus. Exigitque tum  
 pietas, ut iis subministrant necessaria ad vitam  
 honestè secundum suum statum sustentan-  
 dam; quamvis suâ culpâ in hanc necessitatem  
 inciderint, & filii sua bona ab illis non accepe-  
 rint. Quovis enim modo parentes erga liberos  
 egerint, tamen iis vitam & conservationem  
 debent, ex Mat. 15. & c. 1. dist. 30. & l. 1. & 2.  
 Cod. de Alend. Liber. ac parent. debent quoque  
 subvenire parentibus in omnibus aliis necessi-  
 tatibus quoad honorem, famam, libertatem,  
 &c. & eorum defectus tegere ac patienter  
 ferre. *In opere & sermone & omni patientia ho-  
 nora Patrem tuum.* Eccli. 3.

Hinc graviter peccant liberi, si parentibus  
 signa odii ostendant, maledicant; vel signa  
 amoris nunquam aut rarò dent; si durè tra-  
 ctent; si de ipsis orabescant; si graviter con-  
 tristent, vel ad gravem iram impellant, etsi ex  
 causa levi, quam prævident gravem molestiam  
 iis procreaturam. *Qui affligit Patrem, & fu-  
 gat*



gat Matrem: ignominiosus est & infelix. Prov. 19. Qui maledixerit Patri suo vel Matri, morte moriatur. Exod. 21. Si torvo oculo intueantur, vel asperè loquantur, perinde ac si odio haberent; si non subveniant in necessitate spirituali vel corporali, ægros non invisant, carcere detentos liberare negligant; eorum sanitati non consulant, non curent maturè Sacramentis muniri & aliis auxiliis spiritualibus juvari; si eorum testamenta ac legata non exequantur, vel exequi differant, vel non curent pro iis mortuis preces & Sacrificia offerri, &c.

Porro quæ essent mortalia contra charitatem, si fierent erga extraneos, sunt etiam contra pietatem, & longè graviora, si erga parentes: quæ circumstantia semper exprimi debet in Confessione, nam tunc peccatum habet duplicem malitiam specie diversam contra charitatem & pietatem. Tolet, De Lugo, &c.

2. Quoad reverentiam, ejus obligatio clare exprimitur, verbo *honora*. & Eccli. 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi Dominus serviet his, qui se genuerunt.* nam ut ait S. Thomas, parentes participant rationem Principii, cum propter generationem, tum etiam propter educationem, disciplinam, & omnia quæ ad perfectionem vitæ pertinent.

Hinc mortaliter peccant liberi. 1. Si parentes spernant, irrideant, contumeliis afficiant, de illis detrahant; eorum monita, consilia & minas contempnant, præsertim coram ipsis.

Ocul-

*Oculum qui subsannat Patrem, & qui despicit partum Matris suæ, effodiant eum corvi, &c.* Prov. 3. quæ autem in his ob levitatem materiæ erga alios non essent nisi venialia, erga parentes ob circumstantiam personæ ut plurimum sunt mortalia. Ob hanc culpam Cham Filius Noë Patris maledictum incurrit, Gen. 9. quod Deus postea confirmavit, ut posteris hujus culpæ gravitas innotesceret.

2. Si eos percutiant licet leviter, aut iis minentur; imò si contra eos manum tollant, etsi sine animo percutiendi: in his enim censetur gravis irreverentia ac injuria erga parentes.

3. Si ad sublimem fortunam evedti parentes ex contemptu agnoscere dedignentur. 4. Si eos in foro externo etiam vero crimine accusent, excepto crimine hæreseos, proditionis in Principem, quod aliter impediri non posset: in his enim ne Patri quidem parcere debent propter damnum publicum, quod præ privato averti debet.

3. Liberi tenentur obedire parentibus in iis quæ spectant ad gubernationem domesticam, & ad bonos mores. In his enim subditi sunt parentibus, quorum est regere familiam, & eam bonis moribus imbuere. *Filii obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est: Ephes. 6. Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. Col 3. & Rom. 1. Qui non obediunt parentibus, dicuntur digni morte. Hinc S. August. in titulum Psal. 70. ait:*

Ubi hoc jubet Pater quod contra Deum non sit, sic audiendus est quomodo Deus; quia obedire Patri iussit Deus. Ratio est, quia (ut ait S. Th. quodlib. 2. 2. 9.) Ad illa se extendit debitum obedientie, ad quæ se extendit jus Prælationis. Habet autem Pater carnalis jus prælationis in filium. 1. quidem quantum ad domesticam conversationem; sic enim est Pater-familias in domo, sicut Rex in Regno: unde sicut subditi tenentur obedire Regi in iis quæ pertinent ad gubernationem Regni, ita etiam Filii & alii Domestici tenentur obedire Patri-familias in his, quæ pertinent ad dispensationem domus. 2. quantum ad morum disciplinam: unde Apost. dicit Heb. 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores: debet enim Pater Filio non solum educationem, sed etiam disciplinam. In his ergo Filius tenetur obedire Patri carnali, & non in aliis.

Hinc peccant mortaliter liberi, si in re gravi ad mores, vel ad domesticam curam, vel ad pacem & concordiam in familia tuendam, vel ad ejus bona, famam, honorem spectante non obtemperent; & speciatim si contra parentum prohibitionem, improborum societatem, popinas frequentent, alex ludum computationes vel quidlibet aliud illicitum aut periculosum exercent: si contra eorum mandatum nolint dare operam litteris aut artibus suo statui congruentibus; si iis inconsultis nubant, vel si Filius contra eorum voluntatem ducat uxorem

rem se indignam, vel nolit sine justa causa ducere quam parentes volunt, ob magnum familiæ bonum, si filia contra prohibitionem domo egrediatur, vel sola noctu viros alloquatur, &c.

Non debent autem filii parentibus obedire, cum aliquid præcipiunt vel vetant contra Dei, vel Ecclesiæ præcepta, aut Consilia Evangelica: nam *obedire oportet Deo magis quam hominibus. Act. 5.* neque quoad electionem statûs; nam hæc pendet à divina vocatione. Debent tamen consensum & consilium petere, non autem sequi, nisi sit consentaneum vocationi divinæ.

Porrò Filius familias, si parentes ejus operâ non egeant, potest à paterna domo discedere ad discendam aliquam artem honestam statui suo convenientem, vel quærendum aliquod vitæ genus honestum, per tã facultate, quam Pater ei denegare non potest, ex l. ult. ff. *de liber. exhib.*

*Not.* Eadem fere ratio est de avo, pro avo & quolibet ascendente, respectu nepotis, pro nepotis & cujuslibet descendents, & vicissim: nam hi omnes Considerantur quasi Patres & Filii, quippe ascendentes sunt mediati pro genitores, *De Lugo.*

*Sed an Filius cupiens ingredi Religionem, tenetur in seculo remanere, ut parentum necessitati subveniat?*

*Resp. Aff. Si necessitas sit extrema vel gravis*

H §

vis

vis, nec alius possit aut velit iis opitulari, & possit ipse remanendo in sæculo. *Est communis*, quia subvenire parentibus graviter indigentibus est præcepti divini naturalis: ingredi autem Religionem per se est tantum consilii. At propter opus consilii non est omittendum præceptum, utpote obligatorium. Imò cum Religio cessat esse opus Consilii respectu Filii, cum tunc sit ei illicita. Unde Christus, Matth. 5. arguit Phariseos, quòd suaderent, ut eroganda parentibus egenis impenderentur in cultum divinum. Quòd verum est, etiamsi Filius voverit Religionem: nam illud votum solum est de ingressu Religionis, quatenus est opus consilii, nec impedit observationem præcepti divini. At ingredi Religionem relictis parentibus in gravi necessitate, non est opus consilii, & impedit observationem præcepti divini.

*Si vero non sint in tali necessitate, ut filiorum obsequio multum indigeant, possunt prætermissio parentum obsequio filii Religionem intrare, etiam contra præceptum parentum: quia post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet, quantum ad ea quæ pertinent ad dispositionem sui statûs, præsertim in his quæ sunt divini obsequii; & magis est obtemperandum Patri spirituum, ut vivamus, quam parentibus carnis, ut Apost. dicit ad Heb. 2. ita S. Thom. 2. 2. q. 189. a. 6.*

Porro neque parentibus licet ingredi Religionem, dum liberi carent necessariis ad sustentanda-

stentationem vel educationem suo statui convenientem: cum parentes jure naturali teneantur ea liberis providere; nec liceat Deum tentare, ordinaria media omitendo sub spe divini auxilii. S. Thom. loco cit. nisi sufficienter illis provideant de rebus necessariis ad vitam & statum, & illos per alios rectè instituere possint.

*Not.* Nemo tenetur in sæculo remanere propter Fratrum vel Sororum aut aliorum propinquorum necessitatem gravem, sed non extremam: quia nemo tantum iis debet, nec ita strictè tenetur iis subvenire, sicut parentibus: nisi tamen Fratres vel Sorores sint adhuc sub cura Patris aut Matris, nam tunc creant vel augent necessitatem ejus: quippe sub necessitate parentis includuntur omnia quæ pertinent ad statum & munus suum, inter quæ præcipuum locum habet conveniens liberorum educatio ac cura. Atque ita ratione parentis sic obligari quis potest erga Fratres suos; qui tunc considerantur ut pars ejusdem parentis. *Ita Suarez.*

*Sed quod si Filius Professionem jam emisit, an tenetur egredi, ut parentibus succurrat?*

*Resp.* Juxta multos tenetur, si parentum necessitas sit extrema; cui aliter subvenire nequeat, sive illa ante sive post Professionem evenierit: quia in utroque casu aequaliter urget præceptum pietatis, nec minus sunt illius paren-

parentes in uno quàm in altero. Ut autem talis egressus sit licitus, requirunt. 1. Ut Religiosus petat licentiam, nam hoc exigit debitum subjectionis & recta disciplina; & alioquin oriretur perturbatio communitatis ac scandalum. Sed Prælatus tenetur hanc licentiam concedere: quòd si petitam deneget, dicunt posse Religiosum egredi, eo quòd Prælatus sit irrationabiliter invitus, & aliunde præceptum divinum naturale subveniendi parentibus urgeat. 2. Ut egressus gesserit suæ Religionis habitum. 3. Ut quandiu manet in sæculo, servet quoad fieri potest Regulas & Statuta Religionis: nam non desinit esse Religiosus. 4. Ut redeat ubi primùm eorum necessitati sufficienter providit: nam cessat causa manendi extra Monasterium. At si necessitas parentum sit solum gravis, non extrema, non tenetur, nec proinde ei licet egredi sine legitima Superioris sui licentia: quia Religiosus est per professionem traditus Religionis & potestati sui Prælati. Res autem uni tradita non potest sine ejus consensu alteri concedi, etiam quoad usum, citra necessitatem extremam. Ita *S. Thom. S. Antonia. & alii multi.*

*Q. 3. Ad quid Superiores & Inferiores generatim obligantur erga se invicem?*

*Resp. I. Superiores tum Ecclesiastici tum Sæculares tenentur procurare bonum subditorum*

torum, & eorum malum impedire secundum potestatem, quam habent, & munus quod exercent erga illos, ex Eccli. 32. *Resto-  
renteposuerunt? Curam illorum habe. & 1. Tim.  
5. Siquis suorum curam non habet... est infideli  
deterior.* Nam omnis potestas publica ac  
munus est propter bonum subditorum, & Su-  
periores ratione sui officii parentum vicibus  
funguntur.

*Resp. II.* Ut Filii erga parentes, ita cum pro-  
portione subditi erga Superiores quoslibet,  
debent amorem, reverentiam & obedientiam,  
secundum cuiusque potestatem ac munus:  
nam (ut docet Catech. Roman. de 4. Præce-  
pto) *Præter eos qui nos genuerunt, multi præte-  
rea sunt, quos in parentum loco colere debemus,  
vel potestatis vel dignitatis, vel utilitatis, vel præ-  
stantis alicujus muneris & officii nomine.* Idque  
constat ex Script. & Patribus. 1. Pet. 2. *Subje-  
cti estote omni humana creatura propter Deum  
sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam  
ab eo missis... quia sic est voluntas Dei... Omnes  
honorate... Regem honorificate. & Rom. 13.  
Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita  
sit, &c. Reddite ergo omnibus debita: cui tri-  
butum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui ti-  
morem, timorem: cui honorem, honorem. &  
Heb. 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacetis  
eis, &c. Eccl. 7. honorifica Sacerdotes.**

Hinc graviter peccant inferiores, si Supe-  
rioribus in re gravi ad eorum munus pertinen-  
te non



te non obediant; si eos contemnant, vel eorum defectus aliis referant, ut eos odiosos ac contemptos reddant: si illis debita ratione officii non suppeditent, ut decimas Ecclesiasticis, tributâ Principibus, & aliis stipendia, &c.

*Q. 4. Quænam sunt obligationes Tutoris & Curatoris?*

*Not.* Tutor est is, cui commissa est cura pupilli & bonorum ejus. Curator est, qui assignatur Minori præcipuè in curam ejus bonorum. In hoc inter se differunt, quod Tutor datur principaliter in curam personæ & secundariò in curam bonorum impuberis Curator verò principaliter in curam bonorum, & secundariò personæ puberis.

*Resp.* Tutor tenetur curam gerere pupilli, ejus personam tueri, eum bonis moribus imbuere, & christianè educare per se vel per alios, & dare operam, ut artem sibi convenientem adiscat. Item ejus bona curare, & fideliter ac diligenter administrare: nam in hunc finem constituitur, & assignatur pupillo loco Patris, ideòque ejus vices erga eum gerit. Tutor enim est is qui pupillo datur in defensionem & curam personæ ac bonorum pupilli. Curator verò tenetur rectè ac fideliter bona Minoris administrare, & insuper ejus personam tueri cum opus fuerit, & educationi ac institutioni invigilare: nam præcipuè assignatur

tur in curam bonorum, secundario in curam personæ. Quare si Tutor vel Curator in hoc delinquat; vel graviter sit negligens, peccat graviter, & tenetur ad compensationem damni; quia peccat contra proprium officium ad aliorum commodum spectans; proindeque contra justitiam.

Hinc tenentur statim Inventarium omnium bonorum Pupilli & Minoris efficere; l. 24. *Cod. de admin. Tutor.* Omnia eorum bona, jura & actiones diligenter conservare; & curare ut ex iis reditus annui percipiantur, bona alias peritura vendere, ex mobilibus prædia idonea comparare, ex *digest.* & *Cod.* quod si neglexerint, vel res Pupilli aut Minoris in suos usus converterint, tenentur rem ablatam vel amissam restituere, & compensare totum lucrum cessans ac damnum emergens. Tenentur autem de culpa lata & levi, l. 7. *Cod. de Arbit. Tutel.* nam justum pretium suæ administrationis exigere possunt, & sic eorum in usus cedit in utilitatem suam & aliorum. Peccant etiam si Pupillo vel Minori dent pecuniam ad usus malos vel inutiles, cum ex suo officio teneantur fideliter ac utiliter eorum bona administrare.

Cæterum Pupilli & Minores tenentur obedire & reverentiam exhibere Tutoribus & Curatoribus velut parentibus, quorum locum illi tenent.

Q. 5.

Q. 5. *Ad quid obligantur Domini & famuli erga se invicem?*

Resp. I. Secundum omnes, Domini tenentur 1. Gerere curam salutis famulorum & famularum, ex I. Tim. 5. *Siquis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* nam sunt ipsorum caput, & vices parentum erga eos gerunt: ideoque obligantur cum proportione ad ea, ad qua parentes erga liberos tenentur. Quare graviter tenentur curare, ut famuli & ancillares ad salutem necessarias calleant, peccata & occasiones peccati vitent, Dei & Ecclesiae precepta servent, Sacramenta tempore debito frequentent; item bona exempla iis praebere, graviter delinquentes corrigere, & iis invigilare, *Attende domesticis tuis.* Eccli. 32.

2. Tenentur alimenta congrua praebere, & tempore statuto mercedem justam solvere. *Domini quod justum est & aequum, servis praestate: scientes quod & vos Dominum habetis in Caelo.* Col. 4. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Levit 19. Nec possunt ante terminum elapsum domo dimittere sine justa causa: quia violarent contractum. Quod si Dominus sine justa causa se tenente ex parte famuli, invitum eum dimittat ante tempus condictum, tenetur ei integrum stipendium dare, perinde ac si toto illo tempore ei serviisset; nisi alteri eo tempore servierit, l. 37. ff. *locati.* nam conductor pensionem solvere tenetur;

netur, quando re vel operâ conducta usus non est, ob causam se tenentem ex parte sua. Si verò invito Domino & sine justa causa famulus discedat, nihil ei conceditur in foro externo; at in foro conscientiae debetur ei merces pro rata temporis quo servivit, nisi aliud ferat pactum, vel exitu suo intempestivo damnum Domino intulerit, retentâ mercede aut illius parte compensandum; quia opera præstita est digna pretio, quo privari non potest in poenam, nisi ex conventionem, vel per sententiam Judicis. *De Lugo & alii.*

Tenentur eos non asperè ac superbè tractare, sed benignè tanquam Fratres in Christo & cohæredes vitæ aternæ, quos debent sicut se ipsos diligere. *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum & vester Dominus est in Cælis: & personarum acceptio non est apud eum.* Ephes. 6. Unde peccant si domesticos contumeliis afficiant, ut si appellent Diabolos, canes, &c. si immoderato labore vexent, &c.

4. Tenentur curare, ut in eorum morbis ac infirmitatibus auxilia temporalia & spiritualia non desint. Juxta multos tamen seclusa pactione vel consuetudine, non tenentur ex justitia famulis alimenta & stipendium dare toto tempore morbi diuturni: nam hæc debentur solum propter operas quotidianas, & conductor nihil tenetur solvere dum re vel operâ sibi locatâ uti non potest, ob causam provenien-

tem ex parte locatoris vel rei locatæ. Itera non tenentur solvere impensas pro eorum curatione, nisi sint modicæ, vel nisi versentur in necessitate. Postulat tamen charitas, ut impensas saltem modicas faciant pro eorum curatione & alimentis; & hæc est praxis timoratorum. Imò charitas eos obligat ad gratis præstanda famulis pauperibus omnia, quibus indigent, si ea possint præstare.

5. Tenentur famulos expellere, qui liberos, aliosve domesticos, verbis vel moribus pravis corrumpunt, si reprehensione non emendentur *S. Carol. Instruct. Confess. & Concil. Mediol.* 3. nam tenentur à suis causis & occasiones peccandi amovere.

*Resp. II.* Famuli & ancillæ debent suis Dominis amorem, reverentiam, obedientiam, & fidelitatem. *Ex I. Tim. 6. Servi Dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* & *Ephes 6. Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, &c. ex ad Tit. 2. Non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* Itaque tenentur Dominis suis eadem præstare cum proportione, quæ Filii parentibus: nam Domini erga illos parentum vicibus funguntur. Et insuper tenentur ex iustitia fideliter servire ac laborare, munus sibi  
com:

commissum rectè obire, & res sibi creditas diligenter curare ac servare: nam ad hæc præstanda stipendio conducti sunt, & ex contractu oneroso obligantur.

Hinc mortaliter peccant 1. Si in re magni momenti non obediant. 2. Si peccata ac defectus familiæ aliis referant. 3. Si non benè laboraverint toto tempore designato, & obsequia debita negligenter præstent; & tenentur tum ad restituendum partem stipendii, pro rata laboris omitti; nam non habent jus nisi ad stipendium labori & operæ impensæ congruens; tum ad compensandum damnum & lucrum cessans, quia fuerunt injusta illorum causa, cum sequantur ex omissione diligentia ac operæ ex iustitia debitæ. Idem dic de aliis operariis conductis. 4. Si de bonis dominorum disponant sine eorum consensu. 5. Si grave damnum inferri permittant, cum impedire possint; vel videntes inferri taceant, nec moneant Dominos, sive illud inferatur ab extraneis (quod certius est, & ita fere habet communis gentium sensus, ait Lessius) sive à confamilis, etiam in rebus, quarum cura sibi specialiter commissa non est; tenenturque illud refarcire in defectum aliorum: nam famuli omnes tenentur ex iustitia non permittere, ut damnum hero à quoquam inferatur: nemo enim famulum vel ancillam accipit, nisi cum hoc pacto tacito, ut impediatur ejus damnum, si possit. Deinde domestici aliter &

I 2

magis

magis tenentur impedire damnum heri sui, quam extranei, qui ad id ex charitate tenentur. Domestici verò, quibus specialiter domus vel alia res commissa est, tenentur insuper magna cura eam custodire, & diligenter invigilare, ne quid damni in ea patiatur Dominus.

6. Si ante tempus condictum discedat sine justa causa: nam ex contractu, ideòque ex iustitia tenentur toto illo tempore servire: & sic tenentur resarcire damnum, quod Dominus inde patitur, ut si majore pretio alium conduxit, &c. Omnis enim iniustitia damnosa parit obligationem restituendi.

*Q. 6. Quenam sunt obligationes Magistrorum, & Discipulorum?*

*Resp.* Inter Magistros, Pædagogos & Discipulos est quodam modo eadem obligatio, quæ inter parentes & liberos: nam Magistri & Pædagogi vices parentum erga Discipulos gerunt in iis, quæ ad studia & bonos mores spectant.

Sed speciatim Magistri & Pædagogi graviter peccant. 1. Si cum non sunt idonei nec sufficienter docti ad hoc munus rectè ac utiliter obeundum, illud suscipiant, aut non dimittant, aut se ad illud idoneos non præstent. 2. Si Discipulorum progressum in litteris non sedulò promoveant. 3. Si non satis studeant ipsi, ut rectè officio fungantur. 4. Si ex proposito falsa ut vera doceant, vel superstitiosa  
aut

aut saluti noxia. 5. Si negligent eos bonis moribus imbuere, nec delinquentes arguant, aut nec puniant cum possunt. 6. Si ipsis malum exemplum præbeant. 7. Si improbos, & alios perniciosos ad scholas admittant, vel exiis non dimittant, ne alios depravent. 8. Si Doctoratûs, vel Licentiatûs gradum indignis conferant: nam (ut docet Navar. ex S. Antonin.) est mortalis culpa præsertim in Theologia, Jure Canonico & Civili, & Medicina, imò: etiam videtur in Philosophia; nam per hoc graviter bono publico nocent, & remp. vel Ecclesiam publico testimonio decipiunt in re gravi: unde fit ut indignis conferantur officia sæcularia, vel Beneficia ecclesiastica, cum damno multorum.

Porro Conc. Later. V. Sess. 9. præcipit, ut humaniorum litterarum Magistri Discipulos rebus fidei, & præceptis Dei ac Ecclesiæ instruant.

Discipuli peccant 1. Si Magistris & Pædagogis non exhibeant honorem ac reverentiam. 2. Si non obediant in rebus ad studia & bonos mores pertinentibus. 3. Si malorum consortium sibi veritum non vitent. 4. Si libros prohibitos legant. 5. Si à schola absint sine justa causa. 6. Si tempore studii destinato lusui vacent vel otio. Et quidem mortaliter peccant, si studia notabiliter negligent: tum quia agunt in re gravi contra obedientiam parentibus ac præceptoribus debitam: tum



quia se reddunt ineptos ad munus suo statui  
conueniens in posterum ritè obeundum:  
tum quia vita otiosa est fons & origo multo-  
rum peccatorum, præsertim adolescentibus.  
Quare non sunt absolvendi, nisi negligentiam  
suam emendare curauerint.

## CAPUT V.

*De Obligationibus Personarum Judicialium  
vel Forensium.*

*In his generatim requiruntur Scientia, Diligentia,  
Veritas, Fidelitas, & Justitia.*

**N**OTA. Qui Officium aliquod ad aliorum  
commodum spectans suscipit, tenetur ex  
justitia 1. Ad curandum, ut suâ negligentia  
nemini damnum sequatur. 2. Ad procuran-  
da commoda ejus, cui per officium seruit, sal-  
tem quantum commodè potest; & ad dili-  
genter obeunda ea, quæ ad tale munus spe-  
ctant, & necessaria sunt ad finem, ad quem in-  
stitutum est: nam hæc tacitè promittit & ad ea  
se obligat, hoc ipso, quòd tale munus assu-  
mit; & ideo stipendium ei datur. Hinc si  
munus suum negligat, tenetur damna inde se-  
cuta refarcire, & stipendium acceptum resti-  
tuere pro negligentia.